

1. Gallia est omnis divīsa in partes tres, quārum unam incōlunt Belgae, aliam Aquitāni, tertiam qui ipsōrum lingua Celtae, nostra Galli appellāntur. Hi omnes lingua, institūtis, legībus inter se diffērent. Gallos ab Aquitānis Garunna flumen, a Belgis Matrōna et Sequāna divīdit.
2. Horum omnium fortissīmi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitāte provinciae longissīme absunt minimeque ad eos mercatōres saepe commeant atque ea, quae ad effeminandos anīmos pertīnent, important proximīque sunt Germānis, qui trans Rhenum incōlunt, quībuscum continenter bellum gērunt.
3. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtūte praecēdunt, quod fere cotidiānis proeliis cum Germānis contendunt, cum aut suis finībus eos prohibent aut ipsi in eōrum finībus bellum gērunt. Eōrum una pars, quam Gallos obtinēre dictum est, initium capit a flumīne Rhodāno, continētur Garunna flumīne, Oceāno, finībus Belgārum, attingit etiam ab Sequānis et Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad septentriōnes.
4. Belgae ab extrēmīs Galliae finībus oriuntur, pertīnent ad inferiōrem partem flumīnis Rheni, spectant in septentriōnem et orientem solem. Aquitānia a Garunna flumīne ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceāni, quae est ad Hispaniam, pertīnet, spectat inter occāsum solis et septentriōnes. Apud Helvetios longe nobilissīmus fuit et ditissīmus Orgetōrix.
5. Is M(arco) Messāla (et) P(ublio) M(arco) Pisōne consulībus regni cupiditāte inductus coniuratiōnem nobilitātis fecit et civitāti persuāsit, ut de finībus suis cum omnībus copiis exīrent: perfacile esse, cum virtute omnībus praestarent, totius Galliae imperio potiri.
6. Id hoc facilius iis persuāsit, quod undique loci natūra Helvetii continentur: una ex parte flumīne Rheno latissīmo atque altissīmo, qui agrum Helvetium a Germānis divīdit, altēra ex parte monte Iura altissīmo, qui est inter Sequānos et Helvetios, tertia lacu Lemanno et flumīne Rhodāno, qui provinciam nostram ab Helvetiis divīdit.
7. His rebus fiēbat ut et minus late vagarentur et minus facile finitīmis bellum infēre possent; qua ex parte homīnes bellandi cupīdi magno dolōre adficiēbantur. Pro multitudīne autem homīnum et pro gloria belli atque fortitudīnis angustos se fines habēre arbitrabantur, qui in longitudīnem milia passuum duo centum quadragīnta, in latitudīnem centum octogīnta patēbant.

